



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Abbatissa in Houene, cum oculos sanctae Luthildis curavit, cap. 82.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

Venerabilis Theodericus Episcopus de Liou-
nia, cuius supra memini, cum tempore quoda
sanctimoniales consecraret, sanctam Mariam
Magdalenam viduis astare vnus monachorum vidit;
beatam verò Margaretam virginibus: inter stantes
deambulabant, vocatas præsentabant, coronas & ve-
lamina componebant. Erat enim tali visione dignus,
utpote vir bonus & religiosus.

*visiones
de sanctis
virginibus*

IN Vilario, domo ordinis nostri, & diœcesis Leo-
diensis, monachus quidam est Arnoldus nomine,
vitæ laudabilis, & magnum habens zelum circa
ordinis disciplinam; hic cum ex nimia abstinentia in-
tantum stomachum suum infrigidasset, ut vix aliquos
cibos reciperet, imò recepta mox egeret, tempo-
re quodam ad tantum deuenerat defectum, ut lecto
decumbens, mortem minaretur. Cui beata Maria
Magdalena nocte apparens, visibiliter pectore disco-
operto, contra locum stomachi manum misit, ac de-
liniuit; qui ex sacrae manus tactu adeò confortatus
est, ut manè surgens sanus, non absque magna fratrum
admiratione, chorum intraret.

Recordor nunc dominae Gertrudis Abbatissæ
de Houene, quæ satis mirabiliter per visio-
nem cuiusdam sacrae virginis, sicut ipsa
mihi retulit, sanata est. Hæc cum penè per dimi-
dium annum vehementi dolore oculorum cruciare-
tur, sanctam Luthildem Virginem, cuius memo-
ria in eodem cœnobio celebris est, studuit inuo-
care, meritis eius sperans adiuuari. Quodam manè in
lecto suo penè cœca jacens & vigilans, iam dictam
virginem in veste candida coram se stare conspexit;
cuius oculos cum tam veste, quam manu terisset,
continuo clarè vidit, & omnis dolor illa recedente
cessit.

*al. Luthi-
childem*